

TRACTATUS D. THO-
MÆ DE AQUINO ORDINIS PRÆ-
dicatorum, de lapide Philosophico, & primo
de Corporibus supercæle-
stibus.

CAPUT I.



ARISTOTELES in primo meteororum ait, quod pulcrum & laudabile sit investigare causam inentionis causarum, Sapientes enim videntes effectum rerum scrutantur causas. Nos autem videmus corpora cœlestia agere in elementa, & ex potentia materiæ unius elementi, utpote ex materia aquæ, educere formam aeris & ignis. Omne enim agens natura, agit ut sibi simile educat, ut ignis agit in lignum & educit ignem, & loquor hic de agentibus naturalibus principalibus. Videntur enim Corpora supercœlestia non sine elementi sive elementalis formæ materia esse, & maxime quia ad sensum videmus sphaeram planetarum simplicioris fore naturæ, quam ipsi planetæ, & planetas crassiora esse corpora & compositiora. Sed ad evidentiam istius veritatis, non secundum quod probavi de influentiis rerum naturalium. Et hoc optime Rogerius exponit. Omne agens naturale per similitudinem suam agit, immittendo similitudinem illam in passum, quæ quidem similitudo non est diversa ab agente in specie, utpote si stuppa ponatur juxta ignem, ita quod non jungatur igni, ignis sicut alia agentia multiplicabit speciem suam per medium, quæ species multiplicabitur, & recipietur in stuppa per actionem ignis naturalem continuam & aptitudinem passibilitatis stuppæ, vigorabitur in ea species quousque sit in completo actu ignis, propter quod patet, quod similitudo ignis non erat diversa ab igne in specie. Sed quædam res sunt valde activæ sua actione specifica, ita quod possunt educere per similitudinem suam, conformando & multiplicando similia omnino sicut ignis. Alia vero sunt, quæ non possunt sibi simile omnino actu educere in subjectum specie sicut homo. Non enim homo posset similitudinē quæ est in medio tantum conformare quod fiat in actu homo, quia homo aliis actionibus est occupatus. Vnde secundum quod probat Rogerius in libro de Influentiis, si homo haberet

beret